

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
INDVRATIONE TELAE
CELLVLOSAE NEONATORVM.

QVAM

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM CONSENSV

PRO SVMMIS

I N M E D I C I N A

RITE CAPESSENDIS HONORIBVS PVBLICO SVBMITTIT EXAMINI

AVCTOR

ERNESTVS DE HASELBERG

POMMERANVS.

GOTTINGAE, MDCCCVIII.

TYPIS CHRISTIANI HERBST, TYPOGRAPH. ACAD.

P R O O E M I V M

More antiquitate sancito coactus, timidus ad hunc officium dissertationis scribendae. Difficile electu argumentum medico est tironi, qui praxi medicae praecipue quondam operam daturus, tam experientia in rebus practicis, quam otio caret, ut dissertationem de re physiologica vel anatomica, per multa experimenta postulante, perficeret. — Duntius dubius demum decrevi componere, comparare et, quantum possem, diiudicare quae legeram

de

de induratione telae cellulosaе, morbo illo neonatorum, de quo praeclarissimi nostri aevi medici quam maxime hucusque differunt.

DE

INDURATIONE TELAE CELLULOSAE

NEONATORVM.

§. 1.

Ex triginta fere, et quae superfunt, annis auctores sub nomine *indurationis telae cellulosae* affectiones descripserunt morbosas infantum, manifesto tam inter se differentes, ut rixa oriretur, quis morbus hoc nomine insigniendus esset, atque utrum omnino talis proprio nomine vocandus existeret morbus, an solummodo confusiones permissionesque doctos hic fallerent. Saltem nec causas harum affectionum sufficientes invenire, nec certa mederi illis methodo potuerunt medici.

§. 2.

Primum *indurationis telae cellulosae* nomen apud gallicos auditum est medicos, qui morbi cuiusdam singularis Lutetiae Parisiorum, in hospitio infantum expositorum (hospice des enfans trouvés) per saepe observati descriptiones nobis tradiderunt.

§. 3.

Iam ex anno 1739 in prima vitae hebdomade permulti infantes in hoc nosocomio perierant, postquam per aliquot

aliquot dies cutis, praesertim genarum, dura atque frigida fuerat. Simul plerique eorum deglutiendi laboraverant difficultate; quos infantes duros vel gelatos (des enfans durs ou gelés) vocatos insanabiles credebant nutrices; medici autem nosocomii pessima negligentia nec ad hos miseros, nec ad insolitos eorum affectus adverterant animum, donec *Andry* munus medici huius hospitii susceperet. *Andry* haec phaenomena diligentius perscrutatus quae invenerat descripsit in *Histoires et Mémoires de la Société Royale de Médecine*. An 1784 et 1785. pag. 207. a); quo facto societas regia praemium exposuit optimo de hoc morbo tractatui. Ex concurrentibus summam nactus est laudem *Auvity*, cf. *Histoires et Mémoires de la Société Royale de médecine* 1787. 1788. pag. 328.

Mémoires sur la question suivante: Recherches qu'elles sont les causes de l'Endurcissement du tissu cellulaire auquel plusieurs Enfans nouveaux-nés sont sujets, et quel doit être le traitement, soit préservatif, soit curatif?

§. 3.

In nosographia morbi invicem consentiunt:

1) Totum corpus invadere potest morbus. *Auvity* tamen thoracem nunquam affectum vidit; imprimis afficit genas, collum, regionem pubis, antibrachium, manum, crura

a) cf. etiam Journ. de Méd. Chirurg. Pharm. etc. 1790. Tom. 85. p. 263.

crura pedesque. Partes affectae tactui sese praebent duras, vel uti dicunt autores gallici tela cellulosa obstructa est, compacta, resistens, elasticitate expers. Durities partium tanta est, ut digitus premens fossam non faciat, licet iam extravasatum seri adfit; quasi ligneam praebet duritiem cutis, nec moveri potest. Facies modo paululum crispa est, sed bono utitur colore, tactu autem obstructio et durities sentitur: Maxilla inferior interdum spasmo immobilis facta, vel convulsa videtur. Tunc papillam sumere nequeunt; alii vero potum sumere valent; difficulter deglutiant, rarius vagitum proprio sono morbum indicantem edunt (secundum *Dorfmüller* α) sicuti mures vagiunt) nec vomunt, nec alvus fluit. — Extremitates superiores purpureum induunt colorem, inferiores fere violaceum. Sunt etiam duriores extremitates inferiores, interdum arcuatae, plantae pedum non concavae sed convexae. Manus pedesque modo immobiles modo convulsionibus moti. Scrotum et praeputium interdum tumida.

- α) Thorax quidem paululum retinet caloris. Ceterae vero partes, praesertim induratae, frigidae sunt, ita ut vicino igne nonnisi tanquam partes inorganicae calefiant.

Sensim sensimque debiliores facti moriuntur inter tertium et septimum post partum diem.

§. 4.

a) Stark *neues Archiv für Geburtshülfe*. B. 3. St. I. p. 83.

§. 4.

Praecipua igitur huius morbi phaenomena sunt: *Ditrities* partium affectarum earumque *color violaceus vel lividus, frigus, debilitas*, per saepe etiam difficultas deglutiendi et quaedam trismi signa; *absentia symptomatum febrilium*, et plerumque demum, si vis, vanitas remediorum.

Perniciosum hunc morbum, qui secundum Andry vicissimum infantum in hospitio infantum expositorum invadit, *Andry* et *Auvity* vocabant *Endurcissement du tissu cellulaire*.

§. 5.

Observatur morbus a primo inde Octobris frigore humido, et versus Aprilem demum evanescit. Per aestatem in hospitiiis tantum animadvertitur. Extra hospitia in obscuris tantum frigidisque pauperum domiciliis invenitur. Apparet morbus plerumque intra 10-12 post partum horas; sed interdum serius usque ad quintum post partum diem.

Quanta fuerit negligentia multorum medicorum gallicorum ex eo cognoscere licet, quod medici in nosocomio, Hôtel Dieu vocato, munere fungentes minime hunc morbum novissent, quamvis neonati ex illo nosocomio in hospitium infantum expositorum allati imprimis malo obnoxii essent.

§. 6.

Coetanei Gallorum medici usque ad id temporis punctum nusquam hos affectus tanquam morbum proprium viderant, nisi vis allegare Doublet qui medicus hospitalii Vaugirardinensis in descriptione luis venereae neonatorum a) oedematis neonatis proprii his facit verbis mentionem: C'est un gonflement du tissu cellulaire dur et sans élasticité qui jette promptement les enfans dans un assoupissement mortel." Paulo infra: "Les pieds ont un symptôme qui leur est propre; c'est la rougeur et l'inflammation au talon. Cette rougeur devient vive: la peau s'ulcère; il se détache des lames du tissu cellulaire qui lie les tégumens au calcaneum, et le bourrelet qui forme le talon, se trouve pour ainsi dire décollé." — Phaenomena partim differentia, partim ex syphilide orta vel cum ea complicata. — Demum, pag. 483: Un symptôme très effrayant et presque toujours funeste, c'est cette bouffissure ferme et rénitente.

§. 7.

Underwood autem tam ab Andry tam [ab Auvity citatur b). Primum c) sub nomine inflammationis anomala
lae

a) Journal de Médecine, Chirurgie, Pharmacie etc. Tom. 63. 1785. April, pag. 477.

b) Treatise on the diseases of children by Underwood, 1784.

c) l. c. pag. 40.

lae paucis verbis affectiones describit similes quidem illis Gallorum ratione coloris et duritiei, sed frigoris mentionem non facit. Quod malum Andry cum erysipelate complicatum, Auvity plane diversum ab induratione telae cellulosaee esse indicat. Verifimiliter est erysipelas neonatorum; de quo infra.

In capite a) autem de Diarrhoea infantum Underwood describit statum interdum comitantem diarrhoeam mucosam nondum descriptum ab autoribus, a Denman primo observatum: cutem rigidam tamquam adhaerere ossibus; morbum nonnullis congenitum; nullis vitam servatam esse excepto uno, videri spasmus ex certo morbo primarum viarum statu quibuscum cutem sympathia uti notum esse. Solum apparere in intestinorum perturbationibus. — De varia hac indurationis specie v. infra.

§. 8.

Ex antiquioribus autem temporibus unicum modo casum allegare possumus qui huc pertinere videatur, ab Uzembesio medico Ulmenfi traditum b).

A. 1718, Octobre mulier sine octavi graviditatis mensis peperit puellam omnino rigidam, frigidam duramque,

a) l. c. pag. 76.

b) cf. Schurigii Embryologia Sect. III. c. I. §. 19. de foetu frigido et rigido, et Ephemerides Acad. Nat. Cur. Cent. IX, obs. 30. p. 62.

que, cuius genae imprimi non poterant: Maxilla inferior a superiori amoveri nequivit. Die elapso expiravit animam. Hicce vero casus non solum singularis est, sed etiam eo differt a Gallorum casibus, quod durus frigidusque iam natus est infans. De causis huius phaenomeni valde dubitat Uzembezius.

§. 9.

Simul cum Auvity, Hulme Britannus et Naudeau Societati Regiae tractatus obtulere. Hulme *a*) fere consentit cum Auvity et Andry. Colorem nominat sublividum, rubrum, non raro splendidem, cum purpureo aut violaceo mistum. Tumorem non rotundum esse aut circumscriptum, sed serpentem quasi per musculos membri affecti. Vagitus magnum indicare dolorem; nunquam duritiem tumidam in humorem mutari, nec febrem, nec vomitum adesse, rariusque alvum fluere. Mortem intra diem 16 accedere. Non observavit imbecilliores pueros magis huic morbo obnoxios esse quam fortiores, nec eos qui manu nutrentur magis quam ii qui materno lacte alerentur, neque eos qui a mulieribus infirmis geniti essent magis quam qui a validis prodiissent. Omnibus anni temporibus morbum invadere; raro publice grassari at saepius apud nosocomia.

Nau-

a) Hulme de Enduratione telae cellularis in recens-natorum corporibus observata in Histoires et Mémoires de la Soc. Roy. de Méd. 1787 et 88. p.403.

Naudeau *a*) tangens partes affectas nullam musculorum actionem animadvertit. Sed vidit morbum in infantibus multo natu maioribus usque ad annum secundum; etiam de febre loquitur. Forsan non idem morbus.

Souville *b*) postea vidit morbum rure prope Calais.

P. Moscati *c*) in Italia morbum observavit, eiusque descriptio cum Andry et Auvity consentit.

§. 10.

Quae Galli in cadaverum sectionibus invenerunt, omnino haec sunt *d*). Durities quidem nonnullis in calibus paulo ante mortem minuta, sed plerumque etiam post mortem eandem sese praebuit. Corpus interdum brevi post mortem ecchymosi affectum, venter lividus nigerve si antea affectus fuerat. Ex incisus partibus induratis effluxit frequens humor flavus serosus, et albuminosus. Tela cellulosa compacta, dura et tanquam exsiccata, adeps granulosus. Interdum profundior etiam tela cellulosa inter musculos, usque prope ossa, indurata fuit; adeo nonnunquam Auvity telam cellulosam circa oesophagum induratum invenit;

a) l. c. p. 412.

b) Journ. de Méd. etc. 1788. Oct. Tom. 77. pag. 64.

c) *Ital. medic. chir. Bibliothek von Weigel.* B. 2. St. 2. p. 85.
Lpzg. 1796.

d) cf. etiam Chambon des maladies des enfans. T. 1. p. 292 sqq.

venit; saepius in genis sub offe zygomatico duo tubercula nuda magnitudine reperit. Pulmones saepe nigricantes, sanguinis et interdum aeris pleni, vel flaccidi, sphaelosi; secundum Hulme inflammationis signa exhibentes; interdum extravasata in thorace. Ventriculus atque intestina vel aere impleta, vel vacua, flaccida et sphaelosis insignita maculis. Hepar solito maius et sanguine nigricante plenum; vesicula fellea bile impleta fusca. Vasa umbilicalia referta sanguine nigro; vasa glandulaeque mesentericae obstructae. Vasa meningum turgescencia, extravasata seri flavi in cranio. Carus *a)* praeterea cerebrum mollem putaceum, flavi coloris describit, invenitque sanguinis extravasata in ventriculis. Cerebellum quoque medullaque oblongata vasa praebuerunt turgentia atque extravasata serosa. — Ne multa, omnia corporis cava congestiones ostendunt.

§. 11.

His descriptionibus in publicum editis, non solum in Gallia prope oppidum Calais, sed aliis etiam in terris observare coeperunt medici, rarius quidem, eadem vel similia phaenomena.

Ita tamen haec phaenomena inter se discrepant, ut vel varias esse species eiusdem morbi, vel revera differentes inter se invicem status nos credere oportet. Imprimis est,

a) Hufeland's *pract. Journ.* 1816. Febr.

est, quem vocant erysipelas infantile seu neonatorum, morbus quocum vel idem vel cuius species, vel plane differens status ille secundum varios est autores, quem Galli indurationem telae cellulosae nominarunt.

§. 12.

Prima huius morbi in Germania mentio facta est in *Hufeland Annalen der franzöf. Heilk.* T.I. pag. 342.

Tum Girtanner a) morbum descripsit nomine cutis tensae. De erysipelate neonatorum alio capite egit.

Primam vero huius morbi in Germania observationem, quam invenire potui, a. 1797 factam, Dorf Müller nobis dedit in *Stark neuem Archiv für Geburtshülfe* B. 3. St. 1. pag. 83. ubi paucis verbis casum similem describit; a cer-vice incipiens induratio mox in partes vicinas serpsit, quae antequam induratae fuerint, igneum colorem induerunt; sed nec de frigore nec de calore loquitur, quae nobis in dubitum vocat rem.

Tum Stütz a. 1802 b) casum descripsit pueri trium mensium, qui ex acrimonia primarum viarum cum spasmodis et diarrhoea reconvalefcens, subito recidivo affectus fuit, simul extremitates inferiores rigidae, maxilla fere immobilis, *cutis femorum pedumque tensa, frigida et livida,*
con-

a) Girtanner *von den Kinderkrankheiten.* 1794. p. 118.

b) Hufeland *pract. Journ.* T. XIV. St. IV. pag. 32.

contorsiones oculorum; frigus remanfit quamvis partes fricarentur et tegerentur. Regio inguinalis affici coepit, diarrhoea cessare, finguli vagitus. Tertio die et facies et abdomen duriuscula, tanquam sub integumentis communibus obstructa; brevi obiit; sectio nulla. Casus aetate solummodo infantis proveciore ab aliis decedit.

§. 15.

Maxime autem in hac re medicos moverunt observationes quas celeb. Horn Berolini in 17 infantibus in nosocomio Caritatis fecit a). Sub nomine indurationis telae cellulosaе Hörn describit phaenomena sequentia:

Cum affectionibus febrilibus, ardore, inquietudine, aliquando etiam mutata alvi excretionē, plerumque in regione pubis rubor ortus est tumidus, brevi augebatur, durior firmiorque fiebat; impressio per quaedam momenta albedo tingebat locum colore. Mox aliae in aliis partibus oriebantur maculae. Cutis partium affectarum rubra, *fervida*, firma et dura, non poterat moveri nec plicari. Maculis duris et dolorificis factis plerumque febris symptomata, calor capitis, respiratio brevis et frequens, inquietudo noctu; nolebant fugere. Corpus omnino calidum. Labia sicca, turbationes organorum digestionis.

Mors

a) Hufeland's *pract. Journ.* 1810. März. pag. 12. — *N. Archiv für medic. Erfahrung.* von E. Horn. 1810. May. pag. 109.

Mors die secundo, quarto, quinto aut multo serius, quam morbus per plures hebdomades in singulis casibus duraret.

Necavit morbus 1) per dolorem et febrem, sine laesione organica. 2) Per metastasin in viscera, quamvis affectio cutis remaneret. 3) Lentius per atrophiam et virium inopiam, induratione interdum cum desquamatione remota. Duorum modo vita servabatur.

Cadavera plerumque flaccido et emaciata. Durities tumorque et post mortem manserunt. Color lividus et maculatus. Cutis in secundo ter vel quater solito crassior, firmioris, et durioris texturae videbatur. Ex incisionibus profundioribus frequens humor aquosus, lymphaticus effluxit. Interdum adeps durus et granulatus; cuius in cellulis humor aquosus inerat. Si rubor ac durities iam ante mortem evanissent, nil memorabile aderat. — In cavitatibus eorum qui atrophia obierant, nil animadvertendum. Pulmones laxi, particulae eorum aquae innatabant. — In alio thorax tenuem praebuit humorem et lympham exsudatam; in abdomine pseudomembranae; peritoneum magis rubeum et crassius, hepar paulo inflammatum; sed affectio cutis haud perfecta.

In aliis abdomine multa materies lymphatica, puriformis, pseudomembranae, hepar et peritoneum sicuti pulmones subinflammati; in thorace humor rubicundus. — Sic in aliis pericardium et cor affectum, vel cerebrum. Cutis autem primarie affecta, cetera mala secundaria.

Manifesto Horn erysipelas neonatorum descripsit. Morbus incipit symptomatibus febrilibus, cutis fervida, caput calidum; ne multa, tota descriptio omnino consentit iis, quas de erysipelate neonatorum autores dederunt, e. g. Henke *a*). Ipse Horn vocat morbum erysipelatosum, et l. c. pag. 117 exanthema. Tanquam differentiam affert, partes erysipelate affectas nec tam firmas durasque nec tam tumidas esse; igitur erysipelas secundum Horn gradu tantum ab induratione telae cellulosae differret. Erysipelas modo varietas ei videtur huius morbi a se ipso observati, quem indurationem telae cellulosae appellat.

§. 14.

Plerique qui postea de his morbis scripserunt autores, duas species constituunt indurationis telae cellulosae, unam chronicam (v. infra); alteram vero acutam vel eundem cum erysipelate neonatorum morbum, vel eius modo varietatem esse iudicant *b*).

Illorum vero qui revera differentiam inter utrumque existere morbum arbitrentur, vix unum invenire potui, Cel. Carus, Dresdensis *c*), licet sufficientia signa diagnostica sese praebere nobis videantur.

Ery-

a) Henke *Handbuch der Kinderkrankheiten*; ed. 2. p. 183.

b) Cf. e. g. Henke l. c. p. 196. Lodemann in *Hufel. practisch. Journ.* 1810. Octob. pag. 57 lqq. et multi alij.

c) *Hufeland's pract. Journal.* 1816. St. 2. p. 110.

Erysipelas semper incipit loco circumscripto, rubro, tumido, ardente, dolorifico, plerumque in regione pubis, sed etiam in aliis partibus initium capere potest, e. g. in collo *a*). Impressio digiti relinquit maculam albidam; inflammatio celeriter in partes vicinas serpit; incipit morbus, etiamque post ea coniunctus est, statu febrili, calore corporis, affectionibus abdominis et spasmis, et secundum Richter semper impuritatibus primarum viarum *b*). Pars primarie affecta per saepe gangraenosa fit, denique post symptomata febris typhosae mors, saepe etiam antecedentibus ictero vel trismo; vel icterus aut trismus vel uterque etiam erysipelati saepe antecedunt. In suppurationem etiam exire viderunt hanc inflammationem erysipelatosam. Osiander et alii. Diutius durare potest erysipelas *c*) quam induratio telae cellulosae (quae celerius necat). Si in sanitatem restituitur neonatum ex erysipelate, cutis desquamatur. Post mortem invenerunt statum inflammatorium vel gangraenosum in visceribus abdominis et thoracis et saepe pseudomembranas in abdomine.

Induratio autem telae cellulosae nil inflammatorii ostendit; cutis tactui non praebet conditionem partis inflamm-

a) Osiander *Denkwürd. B. 2. St. 2. pag. 370.*

b) Richter *Spez. Therapie. Bd. 2. pag. 201 sqq.*

c) cf. Horn *Archiv 1811, pag. 426 sqq. ubi post 6 septimanas aeger restitueretur.*

flammae, sed ligneam et tanquam mortuam. Rubor nunquam generis inflammatorij est, nec roseus, sed potius in violaceum abiens; impressio digiti non relinquit locum album; morbus non incipit symptomatibus febrilibus sed cum diminutione temperaturae corporis quae solum medio circumdante destinatur, et sensum frigoris tangentibus praebet.

Auvity nunquam thoracem affectum vidit induratione. Magno illo frigore et proprio statu telae cellulosae post mortem differre ab erysipelate constituit, sed unum simul affert casum in quo partes induratae non frigidae sed eiusdem erant temperaturae uti in stato sano, quod phaenomenon ex complicatione cum erysipelate ortum iudicat; quam complicationem et in erysipelate ab Underwood descripto supponunt Galli. Ceterum erysipelas neonatorum in Gallia non satis notum esse confitentur; nec Chambon in libro de infantum morbis de hoc erysipelate egit.

§. 15.

Marcys a) differentiam quidem ponit inter utrumque morbum sed indurationem telae cellulosae vocat erysipelas neonati cum induratione telae cellulosae.

Prae-

a) Ej. *Entwurf einer spec. Therapie.* T. 3. §. 69. 70.

Praefertim nititur auctoritate celsi Gólis qui vehementissimam vocaret inflammationem. Tum allegat singularem observationem a Sybel a), medico Brandenburgensi traditam. Marcus dicit erysipelas incipere a singulari macula vel a pluribus maculis, albescere pressu; sedem morbi inesse reti vasorum, telam cellulosam simul affectam. Exire aut in suppurationem et gangraenam aut saepius in indurationem. Inflammationem vivacem esse, semper febrem morbum comitari; totam cutem sensibilem siccam et ardentem esse; durare usque diem vigesimum primum.

Haec descriptio plane congruit cum illa a Sybel data, qua Marcus eundem morbum esse probare studet. Puer septem dierum symptomata morbi incipientis eademque febrilia ostendit, reconvalescere quidem videtur, sed die 15to prope carpum apparet macula coloris scarlatini, pressu dolens et albesiens, ac durus calidusque; mox admodum intumuit simulque aucti et rubor et calor ad vehementem usque ardorem; per fuscum lividumque in griseum colorem abiit macula, tunc mollis et frigidior cetero corpore evasit; quae igitur caloris deminutio comitata est paralyin vel mortem huius cutis particulae; minimeque in acme morbi adluerat. Eodem vel simili decursu et aliae maculae in pede et brachio erant. Somnus deerat, sed in status oporoso semper vagivit infans, quum vero

pre-

a) Hufeland's *pract. Journ.* 1811. Nov. pag. 91.

premerentur maculae altiore voce clamavit; cupidus sugendi lac tamen evomuit non coagulatum, fecesque edidit lactis non satis digesti, signa turbationis primarum viarum.

Die vigesimo genitalia et abdomen duritie, rubore et vehementi ardore affecta, convulsiones, et die 21mo mors. — Epidermis nonnullis locis desquamata cutem fuscam ostendit; in partibus primum induratis pus flavum; in aliis multum gelatinae; tela cellulosa tanquam inflata; vasa pulcherrimum rete super telam cellulosa praebant; organa interna partim signa inflammationis aut congestionis ostendebant. Manifestissime haec descriptio erysipelas demonstrat, nec opus est pluribus verbis differentiam ab induratione telae cellulosa probare.

§. 16.

Plerique autores frigoris in induratione telae cellulosa et caloris in erysipelate tanquam signorum diagnostico-
rum gravitatem vix dignam habuerunt, ut verba de hac differentia facerent. Lodemann a) primus hoc frigoris impedimentum removere studet, dum indurationem telae cellulosa tanquam erysipelatosam inflammationem hoc modo probare conatur: "Partes humoribus indurari, constipari et tumesceri; erysipelas saepe efficere infiltrationem humoris lymphatico-serosi in telam cellulosa. Colorem etiam erysipelas significare." Andry autem alique obser-

a) Hufel. Journ. I. c.

observatores colorem profecto non erysipelatosam descri-
pserunt, sed potius lividum. Confitetur Lodemann "mor-
bum variis sub modificationibus apparere: frigus quidem
adesse, febrem vero abesse; partes inter se remotas simul
affici; attamen inflammationem tam passivam, asthenicam
non generare calorem, sed potius legibus obedire paraly-
seos periphericae." Equidem vero non credo inflammatio-
nem cuiusvis generis frigus tam singulare tanquam pri-
mum offerre symptoma. "Tumorem durum, elasticum,
oriri infarctibus humorum in vasis peripheriae ex vis vi-
talis debilitate. Frigus absentiam febris non probare.
Partibus distantibus simul induratis nondum probari eadem
causa induratas esse; sic duritiem genarum verisimiliter a
trismo ellici." Trismus autem non semper adest, saltem
non initio, genarum vero durities plerumque. Praeterea
Auvity in cellulosa genarum tubercula quaedam saepissi-
me invenit. "Si quoque color et extravasatum in pluri-
bus sinu invenirentur locis remotis, tamen erysipelas esse
posse, quum causae generales et variis in locis eadem
phaenomena perficere possent. Absentiam gangraenae et
proclivitatem ad spasmos tonicos in induratione telae cel-
lulosae nil probare contra identitatem utriusque formae.
Et indurationem telae cellulosae inflammationem esse.
Gangraenam non oriri, propter reactionem vasorum san-
guiferorum minorem quam ut paralysis perficeretur, et
quia calor decompositionem sanguinis et fibrae animalis
hic non adjuvaret, hic defectus autem mortem acceleraret.

Tonicos autem accedere spasmos ad indurationem telae cellulosaе, quia passionem maiorem systematis nervosi requirerent quam clonici." Inflammatione duritiem telae cellulosaе i. e. auctam eius cohaerentiam perfici posse, nemo dubitabit. Sed omnes, quos novi, autores auctum calorem tanquam constans inflammationis cuiusvis generis symptoma afferunt; licet in nonnullis inflammationibus auctus calor non animadvertendus sit, tamen non credo in statu inflammatorio tantum caloris defectum ab initio morbi existere posse, quem maiori diminutione totius vis vitalis perfici arbitror, quam ut inflammationem, ne paralyticam quidem, facere posset. Nimio potius est debilitas vis vitalis praesertim in cute.

Desunt omnia symptomata febrilia, quae tamen adesse oporteret, si inflammatio tam celeriter decurrens magnam cutis partem afficeret; nec unquam desunt in aliis cuiusdam gravitatis inflammationibus infantum, satisque distincte sese praebent in illo statu qui revera erysipelas neonatorum vocandus est.

Alii autem propter hunc rigorem et duritiem corporum, non proprium morbum sed potius tetanum esse dixerunt. I. Frank a) Parisiis 15 vidit infantes hoc morbo affectos qui tetano-simillimum ipsi videretur.

Lode-

a) Ei. *Reise nach Paris* etc. T. I. pag. 72.

Lodemann *a)* multis in casibus ab Andry narratis potius spasmus musculorum fuisse credit; cui tanta non opus est refutatione; Auvity brevibus tantum dixit verbis satis a tetano differre, et Naudeau *b)* flacciditatem musculorum, praesertim in extremitatibus inter signa morbi refert.

§. 17.

Admodum vero diversa est species illa indurationis, et alias visa, quam Britanni describunt sub nomine *cutis tenfae*, *Skin bound*. Adfunt quidem frigus et lignea durities cutis quae moveri nequit, deest febris, et plerumque in mortem abit morbus, sed color nunquam ruber nec lividus, sed albidus, subflavus, cerae similis; doloris nullum signum, rarius spasmus tonici, et si accidunt solus trismus. Britannis ex incisionibus nullis effluxit humor. Decursus magis chronicus.

Persepe viderunt hoc malum Britanni, nec in Germania tam rarum est. Gölis *c)* Vindobonae saepissime hanc formam vidit, fere trecentos casus.

Quem Stütz *d)* descripsit non huiusmodi fuit morbus, uti opinatur Hencke. Magis huc pertinere videtur morbus

a) l. c.

b) l. c.

c) Gölis *von den Kinderkrankheiten Bd. I. et Salzburger med. chirurg. Zeitung 1812, nro. 9. p. 158.*

d) l. c.

bus a Dürr a) narratus pueri 5 annorum, cui post refrigerium cutis femoris alterius tensa, tumida, duriuscula albida; sed multae complicationes, post plures menses obiit; post mortem adipem granulatum et glebosum, extravasatum nullum invenit.

Loqdemann b) Hannoverae observavit casum similem quidem illi ab Ufembazio narrato, attamen cum descriptione cutis tensae non satis congruentem. Vidit infantem trigeminum praemature partu enixum sexto vitae die affectum. Rigiditas, pallor frigusque glaciei simile invaserant genas, thoracem, brachia, nates, femora, abdomen, crura pedesque; nec vocem nec motum exhibuit, leni vi artus non obediebant; pulsus debilis, frequens; respiratio et deglutitio non perfectae; oculi rigidi. Iam postero die obiit. — Cutis facile movenda; nullum extravasati vestigium. Durities secundum observatoris opinionem in musculis sita, quorum fines ubique sese praeberent visui. Putat fuisse spasmum universalem. Durities post mortem mansit. Color non ruber, sed pallidus, cerae similis; sectio nulla.

§. 18.

Maior adhuc incertitudo de causis huius morbi, vel potius utriusque, et indurationis telae cellulosae et erythipelatis neonatorum, medicorum opiniones distrahunt.

Primae

a) Hufel. *pract. Journ.* 1809. St. 5. pag. 78.

b) Hufel. *pract. Journ.* 1810. Oct. no. 57. et 1811. Ian. pag. 53.

Primae opiniones causas remotiores morbi in matres referebant, positas esse e. g. in nimio earum potuum spirituosorum abusu, vel in Syphilide. Observationes, quas Parisiis fecerunt Andry et Auvity, his opinionibus contrariae sunt. Potius accusant frigus mox post partum in neonatum agens, quod spasmum universalem nervorum gigneret, glandulas cutaneas obstrueret, transpirationem supprimeret et humores, quibus innataffet infans in utero, in cute siccatos tanquam in vernicem mutaret, poros cutaneos obstruentem. Inde exponit Andry retentionem perspirationis cutaneae, obstructionem glandularum cutanearum, oedema durum et coagulum humoris gelatinosi qui frequentissimus in tela cellulosa infantum adesset.

Nunquam Galli viderunt morbum congenitum, sibi que persuasum habent, morbum nonnisi post partum oriri. Singularis Usembezii casus huc non allegari potest, quum nou satis clare eluceat, cuius generis fuerit. Alium congenitum nescio. Matres plerumque sanae et iuvenes; infantes matrum sanarum saepe subito afficiebantur. Praeterea saepe primis in diebus nil praeternaturale in infantibus observatum est. Ideoque potentiae in matrem gravidam agentes non accusandae mihi videntur. Nec in lacte matris causa videtur quaerenda, quum saepe gemellorum unus tantum afficeretur. Multarum matrum ordinata vitae ratio comperta erat.

Frigus aeris sola Auvity videtur causa efficiens. Inter causas praedisponentes, quae neonatorum iam per se

satis

satis magnam erga frigus receptivitatē auferent, numerat omnes potentias debilitantes, partum gemellum, partum praenaturum et quoque menstruum mulieris gravidae fluxum. Frigus in nosocomiis Parisiēnsibus facile accedere posse neonatos, lubenter credo ex mala eorum conditione, quam I. Frank a) paucis verbis pinxit; et ligna deesse ad calefaciendum, et nutrimenta; quamvis nutricem duobus praebere mammas neonatis. Praeterea spatium in his nosocomiis augustius esse ita ut nimis cogerentur infantes. Porro argumentatur Auvity, aerem frigidum nimia vi tenere agere in corpus, comprimere superficiem, claudere poros, retinere perspirationem cutaneam quae in telam cellulosa infiltraretur; partes solidas crispas durasque fieri, fluidas adiposasque coagulari, circulationem languescere, vasa constringi et inde frigus ruboremque extremitatum, languiditatem omnium functionum et stuporem oriri qui in mortem denique transiret. Aerem frigidum simulque humidum partes solidas turgore privare, fluidasque nimis tenuare, aere frigido coagulari humorem perspirabilem pulmonum, sic pulmones debilitari, respirationem difficiliorem reddi, unde derivat vagitum tenuem et difficultatem deglutiendi.

Hulme totum morbum ex inflammatione pulmonum nasci affirmat, quod non satis intelligo.

Cham-

a) *Ej. Reise nach Paris etc.* l. c.

Chambon addit, debiles infantes saepius affici, quia non satis caloris generarent ad sustinendam fluiditatem humorum mucosorum. Nam et huic sola causa frigus, quod coagularet adipem, in neonatis gelatinosam modo, mucosam et rubicundam materiem constituentem. Sic telam cellulosam, cui inesset adeps, indurari.

Et Bruni, Florentinus a), saepe ex frigore orientem vidit indurationem.

Alii causam syphiliticam accusant, sed licet saepe profecto matres lue laborent, tamen multitudinem neonatorum a perfecte sanis matribus hoc morbo affectam videntur Galli. Patres syphiliticos creando simul syphilidem infantibus tradere posse, falsum cognoverunt praeclariissimi medici; an vero omnino e patre indurationis telae cellulosae quoddam momentum causale derivandum sit non verisimile et difficillimum indagatu videtur.

Alteram autem chronicam indurationis telae cellulosae speciem ex Syphilide ortum ducere Gölis pro certo affirmavit. Ulcera genitalium, ani orisque simul apparentia et hydrargyri felix effectus haec probare videntur. An semper hic adlit causa venerea contendere non aulin.

Stütz hypothesein posuit, nasci morbum ex spasmodica tensione et expansione telae cellulosae et singularum eius cellularum. Pro argumentis habet, "telam cellulosa-

fam

a) Loder *Bemerkungen über ärztl. Verfassung in Italien während des Jahrs 1811*. Leipz. 1812. p. 341.

fam gaudere contractilitate teste *Blumenbach*, cellulas semper expandi et contrahi, quam alternationem potentia debilitante, diutius efficiente, et eadem quidem frigore, impediri, et tonicum inde exoriri spasmum." Sed teste *Cel. Blumenbach a)* tales cellulae in corpore vivo non existunt, sed in cadaverum tantum sectionibus arte et encheiretibus oriuntur et haec tela, potius mucosa nominanda, continuum et aequalem contextum glutinosum exhibet. "Universalem organismi debilitatem causam esse omnis spasmi tonici, (quod negandum). Denique curatos esse quosdam infantes antispasmodicis. Hoc spasmo tonico telae cellulosa circulationem humorum impediri et sic gangraenam et mortem perfici." Quae argumenta non defendi posse nemo infitiabitur.

Lodemann dicit defectu vis vitalis morbum produci.

Fischer b) contendit esse inflammationem athenicam ex potentia debilitante vel nimis incitante ortam; nam initio adesse vivacem reactionem. Summam atoniam inveniri hoc morbo.

Carus casum singularem quidem, sed sane memorabilem observavit plane aequalem illis Gallorum. Et sectio consentit. Optimas, ut opinor, sententias de hoc morbo edidit. Inflammationem esse non arbitratur, sed causam sitam in paralyti cutis cum debilitate universali. Omnia, quae attulerunt autores, momenta causalia vim vitalem deminuant

a) *Ej. Instit. physiol.* §. 21.

b) *Museland's pract. Journ.* 1811. *Jul.* p. 80. et *Aug.* p. 54.

minuunt et imprimis cutem debilitant. Morbi initium significatur deminutione temperaturae *b*) in superficie, qui exponi nequit nisi lapsu vis vitalis nervorum vasorumque cutaneorum, quo elasticitas etiam cutis evanescit; pulsus lentior fit et saepe spasmi accedunt. — Tumor et color cutis oriuntur reactione vivi contra mortuum, quae congestionem passivam facit. Perspiratione verisimiliter impedita humor serosus effunditur, adeps coagulatur, et congestionem et obstructionem in vasis color lividus, tumor durus et extravasatum.

Quum tumor oriatur ex reactione vis vitalis contra cutis paralytin, morte hoc symptoma partim sed non omnino evanescere oportet, quod etiam sic invenimus.

Iterum cutis paralytis congestiones sanguinis in organis centralibus, praesertim in cerebro et hepate efficit, quorum affectio rursus spasmis et paralyti favent.

§. 19.

His omnibus rite cogitatis liceat mihi proferre quae verisimillima mihi videantur.

Induratio telae cellulosae et erysipelas neonatorum symptomatibus quidem et causa proxima revera inter se differunt, attamen multis similibus gaudent. Eadem vel similia momenta causalia seu causae occasionales unum alterumve morbum gignere valent.

Aut

b) Gradus temperaturae accuratius etiam explorandus esset thermometro, non solum cuti, sed quoque vel cavo oris vel intestino recto adhibendo.

Aut tanta vehementia vel absoluta vel relativa in corpus neonati agunt, ut brevi supprimant vim eius vitalem, primumque quidem cutem paralyti afficiant eiusque functionem tollant. Perspiratio definit; materies perspiranda extravasatum serosum format, tela mucosa et adeps in statum mortuum quasi abeunt, coagulantur, constipantur, et congestione passiva cutis livido tingitur colore. Quem cutis statum necessario et organorum centralium affectiones sequi oportet, congestiones, status magis inflammatorio appropinquans, qui spasmos gignit, paralyti cutis favet, et mox in gangraenam et paralytin ipse abiens mortem ciet.

Aut vehementia momentorum causalium absolute vel relative ita modificatur, ut non tam subito supprimant, sed potius stimulum afferant et sic inflammationem erysipelatosam cutis gignant, quam forsitan adhuc turbae systematis biliosi iam praedisponentes adiuvant. Et credo stimulos magis locales, et praecipue umbilicum, tam magni momenti in neonato, attinentes, e. g. refrigerium eius, vel rudioem eius curam, imprimis erysipelas efficere. Eodem vero modo erysipelas in cerebrum et thoracis ac praesertim abdominis viscera reagit, et sic eodem modo necat, et in sectionibus cadaveris similia vel eadem phaenomena in visceribus praebet.

§. 20.

Prognosis pessima est in specie acuta, et in erysipelate. Melior in chronica; Gölis ex octo unum tantum

amisit. Magno successu adhibuit mercurium dulcem, solubilem Hahnemanni, unguentum mercuriale, et praeterea balnea calida, vestimenta calefacta, bona nutrimenta.

§. 21.

Sed quod attinet curam acutae, varia quidem medicamina in hoc morbo adhibita afferre possumus, sed nos confiteri oportet omnia spem fefellisse et lucusque medicos opem ferre nescire.

In nosocomio infantum expositorum Parisiensi ante Andry nutrices solummodo contra frigus infantes igni appropinquabant. Andry balnea tepida cum decocto salviae adhibuit, quibus solis quinque infantibus medicatus est, verisimiliter restitutione perspirationis cutaneae, vesicatoria etiam partibus duris imposita laudat. Auvity suadet prophylactice neonatos, imprimis debiles, gemellos et partu praematurò editos a frigore tueri, semper calorem 15° R. servare, saepe infantes igni admovere, cutem leniter fricare, et vestimentis satis calidas induere, lavare aqua tepida cum sapone. Morbum ipsum has dare indicationes; molliendas partes induratas, restituendas circulationem et temperaturam naturalem, resorptionem servandam, vel humores extravasatos evacuandos. Hunc ad finem suadet fomentationes, lavationesque cum infusis herbarum emollientium ante ignem; post lavationem fricationes cum stragulis calefactis. Postquam durities evanuisse monet lavare decoctis scordii, salviae, sambuci, meliloti, chamomillae, chinae, demum cum additamento salis, spiritus vini, saponis etc. Porro fumigationes et balnea cum fricationibus; balnea primum merae aquae, tunc cum decocto salviae, bis per diem; post balnea fricationes. In summo gradu vesicatoria. Pro usu interno, simulac deglutire valeant, lac feminarum et cardiaca.

Hulme incipit cum emetico ex ipecacuanha, tum purgat rheo cum magnesia alba, tunc mercurii dulcis gr. j bis per diem dat. Vana cataplasmata, fomenta spiritus camphorati, vesicatoria: Ubi vagatur per nosocomium etc. prophylactice per quasdam septimanas rheum cum magnesia dat, interdum emeticum. Matri prohibenda alvus tarda.

Souville laudat fumigationes et lavationes emollientes.

Chambon hirudines vult applicari post aures; tunc balnea et fumigationes cum herbis aromaticis, et vesicatoria.

Moscati primum purgat. Externe remedia tepida, sicca, resolventia adhibet; interne liquorem anodynum m. II. vel aetherem. Si ad valetudinem vergat, vesiculas in lingua oriri narrat; tum rheum cum magnesia dat; liquorem etiam cornu cervi succinatum.

Stütz frustra fricationes, involucra calida, vinum, laudanum et spiritum cornu cervi restificatum adhibuit.

Item frustra Lodemann infusum chenopodii ambrosiaci, moschum, balnea aromatica. Omnino probat tonica post leniter purgantia.

Fischer remedia Gallorum adiuvantia tantum credit. Probat post hirudines et leniter purgantia, tonica, balnea, sed non calida eademque aromatica et spirituosa, alcalina. Interne mercurium dulcem, ialappam, tunc serpentariam, arnicam, digitalem, moschum, camphoram, sal volatile cornu cervi, antimonium, opium in minima dosi, vinum cum aqua.

§. 22.

Non decet quidem tironem experientia expertem iudicare de cura morbi, quam summi in arte medica viri destinare nondum potuere. Attamen liceat proferre quae legenti varias autorum opiniones in mentem venerint.

Arbitror erysipelas et indurationem telae cellulosaе varios morbos et varia egerē cura.

In erysipelate quidem remedia leniter purgantia et ipse mercurius, et tunc demum tonica idonea sint; sed in induratione telae cellulosaе haec nimium debilitantia mihi videntur. Duas credo indicationes sese nobis praebere praeter momenta causalia removenda: 1) Vis vitalis omnino demersa tollenda, 2) Cutis functio restituenda.

Aegrotos dubito quidem internorum magnas doses ferre, sed prae omnibus moschum conarer. Balnea cum herbis aromaticis etc. non solum adjuvantia puto, sed potius efficacissima; his enim et vesicatoriis partibus affectis impositis medici gallici paucos quos servarunt neonatos debent.

Haec sunt, quae pro viribus proponere valui. Liceat adhuc nominare autores nonnullos, quos inspicere nobis non contigit. In operibus de infantum morbis etiam de induratione telae cellulosaе egerunt Schäffer, Iahn, Fleisch, Feiler, plures Britanni; et minores quosdam tractatus collegit ediditque Reddelien, Lubecae, 1802.

